



16





MEDICATIO PUELLÆ  
HYSTERICA PASSIONE  
AFFLICTÆ:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;  
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Ac Botanices Professoris Ordinarii, ac

Philosophi Eximii,

*Publicæ disquisitioni exhibet*

CORNELIUS VAN SON Roterodam.-Batav.

*Ad diem 25. Maji, horâ locoque solitis.*



TRAIECTI AD RHENVUM,

TYPIS *Gisberti à Zjll, & Theodori ab Ackersdijck,*

c l o l o c l .

*Pietate ac eruditione Viro præstantissimo,*

D. S E G E R O V A N S O N, In Ecclesia Reformatâ, quæ Roterodami Christo colligitur, Pastori fidelissimo, vigilantissimo, Fratri suo dilectissimo.

*Amplissimo Spectatissimo, Prudentissimoque Domino,*

D. J O H A N N I D E R E U S, Illust. ac Præpotent. D. D. Ordinum Hollandiæ ac West-Frisiæ quondam Deputato; In Curia Generali rerum maritimarum, quæ est Medioburgi, Illust. ac Præpotent. D. D. Ordinum Generalium nomine Exconsiliario; nunc vero in Senatu Roterodamensi Senatori dignissimo, Avunculo suo ac rerum tutori fidelissimo, nunquam non venerando.

*Probitate ac vitæ integritate conspicuo Viro*

D. W I L H E L M O V A N S O N, Mercatori apud Roterodamenses strenuo, Patruo suo dignissimo, ac tutori, etiam quoad vivam omni Filiali affectu colendo.

*Eruditissimo multaque Experientia Clarissimo ac Celeberrimo Viro ac Domino,*

D. H E N R I C O R E G I O, Medico ac Philosopho exactissimo, acutissimo, Reip. Ultrajectinæ P O L I A T R O Medicinæ ac Botanicæ Profess. dignissimo, Præceptoti meo ac Præsidi venerando, omni semper honore prosequendo.

D E N I Q V E

*Erudito Iuveni-Viro,*

F E R D I N A N D O G R U I W A R D O, Amico suo integerrimo, ac eorundem Studiorum familiaritate plusquam Germano.

*Hoc qualecunque exercitium*

Dedicat consecratque

C O R N E L I V S V A N S O N.

MEDICATIO PUELLÆ  
 HYSTERICA PASSIONE  
 AFFLICTÆ:

## I.



Uella viginti annorum, sanguinea, alimentis crassis diu usa, & menses inordinate fluentes habens, subinde, per dierum aliquot intervalla, afficitur crurum imbecillitate & cardialgia, quas subsequitur faciei pallor, & respirandi difficultas, in qua ipsi fauces constringi videntur. Deinde, malo ingravescente, sentitur in ipsius abdomine globi cujusdam, ad diaphragma identidem magno impetu ascendentis, motus. Audiuntur quoque murmura & varii imi ventris sonitus. Privatur denique omni sensu & motu, pulsusque valde parvus & debilis evadit. Durat interdum hic paroxysmus per horas duas aut tres: à quo liberata magnam totius corporis sentit perturbationem & lassitudinem.

## II.

*Afficiuntur* in hac puella pulmo, cor, & fauces; ut ex difficili respiratione, pulsu debili, & pressionis faucium sensu patet. Afficiuntur item intestina, ut ex ascensu globi, & murmure & sonitu in abdomine perceptis constat. Afficiuntur hæ partes secundo: primario vero uterus; quod ex mensibus inordinate fluentibus, item ex eo, quod hic affectus talia symptomata, quæ jam commemoravimus, producere soleat in fœminis ex utero laborantibus, est manifestum.

## III.

*Morbus*, qui ipsam affligit, est quædam intemperies putrida & maligna uteri; quæ difficultatem respirandi, pressionem faucium, & globi vehementius ascendentis motum, ac abdominis murmura, sensusque ac motus privationem ac pulsum debilem

lem excitans, *Præfocatio Uterina* vel *Hysterica Passio* vulgo appellari solet.

IV.

*Procatarctica* hujus morbi *causa* est diutinus crassorum alimentorum usus, item adolescentia & temperamentum sanguineum nostræ puellæ: unde partim crassus humor, partim multum feminis in ipsa circa uterum genitum, & mensium inordinatum fluxum efficiens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus circa uterum per quædam intervalla corrupta, malignitatemque adeptæ, & uterum vellicans, ac venis sese insinuans, & deinde ad cor, cerebrum, aliasque partes affectas per sanguinis circulationem delata, *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

V.

Pravus enim ille humor primo parcius ad cor delatus, sanguinisque dilatabilitatem suis crassis particulis impediens; efficit ut sanguis justo parcius cuti reliquisque partibus suppeditetur, & in justo pauciores spiritus convertatur, unde ex illo sanguinis defectu *oritur cutis pallor*; & ex defectu illo spirituum animalium, *crurum* in movendo *debilitas*. Ad ventriculum vero propulsus, superioremque ejus partem acrimonia sua rodens producit *cardialgiam*.

VI.

Dum autem ab hujus humoris acrimoniâ & quantitate fibrille ipsius uteri vehementius vellicantur, motusque ille per nervos ad cerebrum defertur, pori in cerebro ita aperiuntur, ut spiritus animales ex eo in constrictorios musculos faucium, abdominis, aliarumque vicinarum partium vehementius & inordinatius fluentes, *convulsivum & constrictorium quemdam motum inspirationem lædentem*, in abdomine ac diaphragmate & aspera arteria *circa fauces*, aliisque partibus respirationi inservientibus, producant.

VII.

Fluentes vero identidem magna vi in fibras intestinorum, eaque in globum contrahentes, & vehementissime agitantes, faciunt *sensum convulsivi motus*, quo *intestina in globum contracta vehementi*

*menti impetu versus diaphragma vicissim propelluntur, & læsionem inspirationis magnopere augent.*

## VIII.

Alii globum illum, versus superiora in hysteris tanta vi in abdomine versus diaphragma propulsum; ipsum uterum vel tubam uteri Fallopiam esse existimant. Verum, cum illæ partes, præsertim in virginibus, in tantam molem distendi, & tam alte, ubi ille globus percipitur, attolli nequeant; ipsos errare existimo.

## IX.

Humores autem illi pravi, ubi postea ab utero ad cor copiosius deferuntur, sanguini ibidem misti, dilatabilitatemque ejus summopere imminuentes, inducunt spirituum naturalium in corde, & animalium in cerebro, partim inconvenientem motum, partim defectum; unde necessario, ex cordis læsione, sequitur *pulsus debilis*; & ex læsione cerebri, *sensus motusque voluntarii privatio*.

## X.

Dissipato vero, vel discusso, vel expulso post duas aut tres horas ex corde pravo illo humore, & bono sanguine ad cor & cerebrum per circulationem redeunte, paroxysmus cessat, & *ægra, valde, ex magna illa perturbatione, fatigata, ad se redit.*

## XI.

*Morbis* hic valde est periculosus, cum paroxysmi gravissimis symptomatis sint comitati, & valde frequentes; unde metus est, ne ægra nostra in paroxysmo aliquo suffocetur.

## XII.

*Curatio* itaque maturanda. Quæ in paroxysmo consistet in humorum & vaporum istorum putridorum & malignorum diffusionem & expulsionem: & extra paroxysmam, præter causæ procatarticæ ablationem, in pravorum humorum ex toto corpore evacuationem, & uteri intemperiei per contraria correctionem.

## XIII.

In paroxysmo itaque mox injiciatur clyster acris, & naribus adhibeantur pennæ perdicum incensæ & fumantes, vel oleum succini, vel assa fatida, vel castoreum, vel sulphuris fumus.



Adhibeantur etiam frictions & ligaturæ crurum, ut & brachio-  
rum, subinde solvendæ; quibus pravorum humorum, ab illis parti-  
bus ad cor tendentium, reditus impeditur.

Emplastrum quoque ex galbano & gunmi ammoniaco æquali-  
bus partibus in aceto dissolutis, & super corio ad magnitudinem  
volæ manus extensis factum, inter umbilicum & os pubis admo-  
veatur.

Naribusque inpiretur, ad sternutationem excitandam, pulvis sub-  
tilis, ex tabaco euphorbio & elleboro albo confectus.

Mantili etiam, ligaturæ instar adhibito, abdomen super umbili-  
co arcte, ad globi istius ascensum impediendum, circumcin-  
gatur.

In principio perturbationis novi paroxysmi, præstantissimum  
remedium est sequentium pilularum usus:

*Rx.* Castorii  $\mathfrak{D}$  j.

fecula bruonia.  $\mathfrak{D}$   $\beta$ .

Cum syr. de artemisia q. s.

F. Pilulæ, num. tres.

XIV.

*Extra paroxysmum* laborandum, ut semen & cacochy-  
mia circa uterum non gignatur, vel ibidem non subsistat.

Optimum itaque remedium hic erit conjugium. Quod si ejus  
commoda occasio non offeratur; sanguis educendus erit ex venis  
circa utrumque talum existentibus, pro ratione virium. Et men-  
ses, non satis ordinate & parce fluentes, movendi erunt primo tali-  
bus pilulis purgantibus:

*Rx.* Massa pill. de hyera  $\mathfrak{D}$  j.

Agarici trochisc.  $\mathfrak{D}$   $\beta$ .

Scammonii gran. x.

Castorei, seminis agni casti, an. gr. iij.

Cum syr. de artemisia q. s. F. Pil. num. VII.

Mane jejuno ventriculo sumendæ.

Et deinde tali aposemate menses movente utatur:

*Rx.* Rad. Cyclaminis, bryonia, valeriana, petroselinii,

rub. tinctorum an.  $\mathfrak{z}$   $\beta$ .

fol. artemisia, melissa, nepita, matricaria, pulegii,

sabina



*fabina, an M. β.*

*sem. anisi, feniculi, dauci, an. ʒj.*

*Decoq. in aq. hordei ad lib. j. Addendo sub finem decoct.*

*fol. senna ʒj.*

*In colatura dissolve syr. de artemisia. ʒj. β.*

*F. Apozema, de quo sumat quotidie vel alternis diebus  
haustum ij. vel iij ʒ.*

Adhibeantur ad seminis extinctionem mentha, ruta, lactuca. Et lumbi illinantur unguento refrigerante Galeni cum succo sempervivi.

### XV.

In victus ratione aër sit temperatus, tranquillus. Caveat ab alimentis, quæ multum sanguinis & spermatis generant. Parce victitet. Vitentur alimenta quæ flatu & humores pravos & melancholicos gignunt. Potus sit cerevisia tenuis, & vinum aqua dilutum. In syncopes tamen periculo admittatur vinum merum. Exercitia sint mediocria. Somnus solito brevior. Excrementa alvi respondeant arte vel natura. Tristitia vitetur & procuretur omni modo gaudium.

H Y S T E R I C A P A S S I O N E

Feliciter Disputantur.

Utrumque dicitur in hystericis passionibus  
Videtur hystericis passionibus in hystericis  
Dum per hystericas passiones in hystericis  
Gonorrhoea dicitur in hystericis passionibus  
Mortuus dicitur in hystericis passionibus

P O S U I T

in hystericis passionibus

H. CRUIWARDUS

Med. Scd.

## C O R O L L A R I A.

1. **I**ndubitata est doctrina de circulatione sanguinis.
2. **H**ac posita, rejicimus omnem, vel in alendo, vel in excernendo, partium attractionem.
3. **F**utilis ac vana est τῶν ὑρῶσ κωπῶν, omnia ac quidvis ex inspectione urinae colligi posse putantium, sententia.
4. **Q**ueritur an in membri sphacelati extirpatione secundum Aquapendentem, lib. 1. part. 2. cap. 27. de curat. sphac. debeat fieri sectio in parte mortua, usque ad vivam partem, donec aeger dolorem sentiat, actuali cauterio urendo: an vero secundum Amb: Paræum lib. 12. cap. 35. & alios in parte viva? Aff. pr. Neg. post.
5. **A**n conveniat infantibus recens natis leviculam purgationem exhibere ex Manna Cassia & similibus? Aff.
6. **A**n in principio Morborum leviter purgare liceat? Aff.
7. **M**ethodus medendi non est pars medicinae: sed tota ars medica.

F I N I S.

*Virtute ac doctrina eximio Iuveni-Viro,*

**CORNELIO VAN SON,**

DE

**HYSTERICA PASSIONE**

*Feliciter Disputanti.*

**U**T stimolata canunt Divum terrestria *Phæbum,*  
Devia dum terræ viscera blandus adit:

• Vivida sic nostri modulamur lumina *Solis*  
Dum penetrant fœtus intima claustra tori;  
Contortique aditus abscondita membra recludunt,  
Monstruosumque malum viribus inde fugant.

P O S U I T

*Singulari suo Amico*

F: GRUIWARDUS,  
Med. Stud.


00 A 6396

ULB Halle 3  
002 928 167



*St*





yr. an. vno. iij.  
nia dragm. j. s.  
Misce.  
ambuci vnc. x.  
ranar. dragm. v.  
s vini opt. vnc. vj.  
Misce.

m valde etiam intumescant, iis impo-  
ros. & plantag tepidâ madefacta.

VIII.  
e sub sequentem majum rursus recidi-  
prili semel atque iterum purgetur, &



35 138  
MEDICATIO PUELLÆ  
HYSTERICA PASSIONE  
AFFLICTÆ:

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;  
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ

Ac Botanices Professoris Ordinarii, ac

Philosophi Eximii,

*Publica disquisitioni exhibet*

CORNELIUS VAN SON Roterodam.-Batav.

*Ad diem 25. Maji, horâ loquoque solitis.*



TRAIECTI AD RHENVUM,

TYPIS Gifberti à Zjyll, & Theodori ab. Ackersdijck,

C I O I O C L.

